

divina non potest per se ipsam informare intellectum, respondet: « Quod intellectus creatus sit actu ad videndum divinam essentiam per lumen gloriæ, et hoc sufficit. »

XXIV. Respondetur D. Thomam ita negare in hoc articulo omnem similitudinem ex parte objecti, quod non solum negat similitudinem repræsentativam per modum speciei, sed etiam per modum objecti cogniti. Unde nihil valet illa consequentia: Negat D. Thomas in hoc articulo similitudinem ex parte medii cogniti, ergo non negat similitudinem per modum speciei, utrumque enim negat. Et sic in argumento sed contra, attulit auctoritatem Augustini negantis visionem illam fieri per speculum, et ænigma, et sic negavit medium cognitum, et objectivum, in corpore autem articuli expresse negavit medium per modum speciei, distinguens similitudinem ex parte rei visæ, qualis est similitudo lapidis in oculo, quæ utique species impressa est et illam negavit in visione beata. Adde quod cum in sententia D. Thomæ ut infra ex ejus rationibus ostendemus, si datur species creata, illa debet immediate repræsentare creaturam, et non Deum, creatura autem sic repræsentata se habet ut speculum, vel ænigma respectu Dei, idem est apud D. Thomam negare omnem similitudinem, quæ per modum speculi, vel ænigmatis repræsentet Deum, atque negare omnem similitudinem per modum speciei creatæ.

XXV. Ad id vero, quod dicitur de distinctione, quam ponit D. Thomas inter similitudinem ex parte potentiae, et ex parte rei visæ, respondetur D. Thomam se explicare in hoc articulo secundo, in fine corporis, quod similitudo ex parte potentiae est lumen gloriæ, quod dicitur similitudo, quia dat potentiae virtu-

tem proportionatam ad attingendum Deum, ut explicat in contra gent. c. LIV. Hoc autem lumen expresse D. Thomas distinguit a specie repræsentativa in IV sent. et quodlib. VII, citatis, quia lumen gloriæ dicit pertinere ad medium sub quo, speciem vero ad medium quo, et hoc secundum negat in visione beata, primum vero admittit. Per similitudinem autem ex parte rei visæ non solum intelligit D. Thomas speciem expressam, sed etiam impressam, ut patet manifeste in initio corporis articuli, ubi explicat similitudinem ex parte rei visæ per hoc, quod est sicut similitudo lapidis in oculo. Constat autem quod in oculo non datur species expressa, sed solum impressa in sententia D. Thomæ, et cum dicat D. Thomas hanc similitudinem ex parte rei visæ requiri ad uniendum objectum potentiae, et tamquam unum ex principiiis concurrentibus ad visionem, diminutus esset, si solum intelligeret speciem expressam, et omitteret impressam, quæ ad id concurrat ut principium. Negavit ergo D. Thomas omnem similitudinem tam ex parte speciei impressæ, quam expressæ.

XXVI. Ad primam confirmationem respondetur in illis locis negare similitudinem, quæ est per modum objecti cogniti, et referre se ad istum articulum, quia vere in illo hanc similitudinem negavit, non tamen hanc solam, sed etiam omnem aliam similitudinem, in qua etiam includitur similitudo per modum speciei.

XXVII. Ad secundam confirmationem respondetur in illo quodlibeto expresse D. Thomam negare in visione beatifica similitudinem, quæ se habet ut medium quo, quod utique est species. Dum vero dicit, quod hoc facit lumen gloriæ respectu divinæ essentiae in intellectu, quod facit respectu aliorum intelli-

ARTICULUS II.

An sit specialis repugnantia ad negandum de facto speciem in visione Dei?

I. Inter auctores, qui hanc quæstionem tractant de specie, qua videtur Deus pauci sunt, qui de facto ponant speciem creatam, qua Deus videatur, licet p. Vazquez hic disput. XLVII, cap. VII, num. XXXII et XXXIV affirmet, quod posita possibilitate hujus speciei potius dicendum est eam de facto dari, quam divinam esse etiam supplere vicem illius. Et numero XXXVII concludit nihil absurdi esse, si dicamus beatos per speciem creatam videre Deum. Ac denique lumen gloriæ, quod de facto datur habere rationem speciei impressæ, et non solum luminis, affirmat p. Alarcon tract. I. de visione Dei, disput. III, eo quod non requirit ad rationem speciei vim repræsentativam, sed determinativam ex parte potentiae erga objectum, et ita non procedunt in sensu hujus disputationis, sed supponendo speciem, non ex parte objecti se tenere, ut ejus vicariam, sed ex parte potentiae, et determinationem virtutis. Expresse autem distinguitur a D. Thoma lumen gloriæ quod datur per modum virtutis a similitudine Dei, quam dari negat in visione Dei, in hac quæstione, articulo VI. Loquendo autem de specie impressa, quæ repræsentativa, et vicaria est objecti, illam de facto dari, nec divinam essentiam posse exercere munus speciei impressæ in intellectu beati, docet Ægidius a præsentatione, tom. II de beatitudine, lib. VIII, qu. III, art. III, et latius qu. IV, art. I et IV. Et conatur aliquos auctores ex antiquis adducere, qui vel probabilem eam sententiam reputant,

gibilium species rei intellectæ simul, et lumen, non attribuit luminis gloriæ officium speciei repræsentative objecti, sed officium actuandi intellectum per modum principii inhærentis ipsi, hoc enim solum facit lumen in visione beata respectu divinæ essentiae intelligendæ, cum tamen respectu aliorum objectorum, quæ non sunt lux, id est, per se ipsa non sunt immediate cognoscibilia, necesse sit, quod duplex principium inhæreat in intellectu, ipsumque inhærendo afficiat, scilicet species ab objecto proveniens, et virtus, seu lumen intellectum perficiens. In visione autem beata tantum est unum principium inhærens intellectui, et actuans illum inhærens in ordine ad intelligendum divinam essentiam, scilicet lumen gloriæ non dat virtutem actuando, et inhærendo, objectum autem, quia est ipsa lux non indiget specie inhærente, et creata loco sui. Et hic est genuinus sensus D. Thomæ. Et eodem modo in solutione ad secundum dicit D. Thomam sufficere similitudinem, quæ est lumen gloriæ ad videndum Deum loquendo de similitudine creata, per quam fiat in actu intellectus informatione inhærente, hujus enim generis (scilicet creatæ similitudinis) solum lumen datur, quod ex parte virtutis se tenet. Quod fecit D. Thomas ad exprimendum se negare omnem aliam similitudinem creatam, ex parte objecti non tamen negat præter lumen gloriæ etiam concurrere essentiam divinam per modum speciei sine inhærentia in intellectu, ut aliis locis explicat, non solum in præsentati, sed etiam in III contra gent. cap. LI, ubi optime id declarat.

ut Richardus in III, dist. XIV, q. III, art. I, et quidam Uldaricus apud Carthusianum in eadem distinctio-
ne, q. III, vel non omnino eam re-
jiciunt ut Argentinas ibidem, q.
unica, art. I ad III, et Ovandus in
IV, dist. XLIX, propositione X, vel
denique solum referunt ab aliquibus
auctoribus eam defendi, ut Henricus
in summ. art. XXXIII, q. II ad III, et
Major quodlibet. IV, difficult. VI.

II. Triplex potest esse hujus sen-
tentiae fundamentum (omitto illam,
quæ lumen gloriæ dicit esse speciem
impressam de qua sequenti disputa-
tione). Primum est, quia non potest
assignari ratio cur de facto non de-
tur ista species creata, si semel ad-
mittitur esse possibilis. Secundum,
quia connaturalius, et congruentius
videtur poni species creata. Tertium,
quia necessario ita debet poni, eo
quod unio divinæ essentiae per mo-
dum speciei intelligibilis, inintelli-
gibilis videtur. Primum explicatur
sic, quia supposita possibilitate ist-
tius speciei, quod de facto illa detur
vel Deus sua essentia suppleat illam
si id possibile est, solum reducitur
ad voluntatem Dei, de hac autem
nullatenus nobis constat, neque per
Scripturam, neque per traditionem,
ergo nullum est fundamentum soli-
dum ad negandum de facto dari
speciem creatam, si illa possibilis
est.

III. Secundum vero fundamentum
sic explicatur: Quia connaturalius
est nostro intellectui, ut ad cogni-
tionem objectorum extra se infor-
metur specie representativa per
modum formæ inhærentis, illaque
utatur tamquam sibi subordinata in
eliciendo, et producendo notitiam.
Ex parte etiam Dei connaturalis est,
quod Deus mediis formis creatis
concurrat ad operationes creatura-
rum, quam per se ipsum id sup-
plendo, sicut connaturalius est, quod
naturæ propriis suppositentur, quam

divinis, et quod Deus producat lu-
cem medio sole, quam se solo. Ergo
si est possibilis species creata, con-
naturalius est, quod mediante illa
ad visionem Deus concurrat, quam
supplendo per se ipsum vicem spe-
ciei impressæ.

IV. Tertium fundamentum ex eo
sumitur quia valde difficile expedi-
tur, quomodo divina essentia uniri
possit intellectui beati supplendo vi-
cem speciei, nisi informet illum in
genere causæ formalis, quæ Deo
omnino repugnat. Sequela autem
probat, quia non sufficit ad sup-
plendum vicem speciei, quod Deus
solum per extrinsecam assisten-
tiam intellectui assistat, et con-
currat cum illo ad visionem, sed re-
quiritur, quod intime illum actuet,
et informet in genere intelligibili,
ut sine controversia admittunt om-
nes Thomistæ. Hæc autem informa-
tio non potest evadere rationem
causæ formalis quam Deo attribue-
re per se ipsum, nullo modo possu-
mus. Requiritur etiam quod influat
simul cum intellectu in ipsam in-
tellectionem. Difficile autem expli-
catur quomodo præter concursum
in ratione causæ primæ efficientis,
Deus concurrat speciali illo modo
per modum speciei: præsertim cum
illo concursu species, et potentia
fiant unicum principium, in quo in-
tellectus se habet, ut principalis
causa, utpote vitalis, et per se eli-
ciens, species autem solum ut de-
terminans, et subordinata illi, quod
divinæ essentiae attribuire valde
abhorret intellectus.

V. Nihilominus in contrarium ob-
stat concursus fere omnium theologo-
rum sententia. Eam docet D. Tho-
mas locis in articulo præcedenti ci-
tatis, in quibus sine discrimine de
possibilitate vel de facto, absolute
docet non dari speciem creatam, et
specialiter quomodo divina essentia
possit per modum speciei intelli-
-

bilis uniri explicat III contra gent.
c. II. Et licet Vazquez de mente D.
Thomæ dubitare voluit, ut vidimus,
tamen improbabilitatis arguitur ab
Ægidio in hac parte, quasi vel D.
Thomas non legerit, aut si legit non
citavit. Stat pro eadem sententia
Scoti quidquid renitatur Vazquez, li-
cet enim in IV, sententia dist. XLIX,
non satis mentem suam explicaverit,
tamen absolute sequitur hanc par-
tem in quodlibet XV, art. II, litter. V,
§. Contra secundum sit. Ubi conclu-
dit, quod intellectus beati habet
essentiam divinam actualiter præ-
sentem ut intelligibilem, per quam
fecundetur ejus memoria. Et §. Ad
secundum diceretur, affirmat ante
visionem actualem nullam formam
dari, quæ divinam essentiam in in-
tellectu repræsentet. Item in quod-
libet XIV, circa finem, §. Ad ista,
affirmat quod medium, quo intelli-
gendi (quod ipse vocat speciem ime-
pressam) solum diminute repræsen-
tat essentiam divinam. Pro eadem
parte stat S. Bonaventura in I, dist.
III, in I p. dist. q. I, ad ultimum,
numero XII, et Ægidius Romanus
in defensorio doctrinæ D. Thomæ
articulo primo, ubi hanc doctrinam
D. Thomæ qua negat speciem crea-
tam in beatis, appellat divinitus ins-
piratam. Citatur etiam B. Albertus
Magnus in IV, dist. XLIX, art. V, et
clarius I p. summæ de mirabili sci-
entia Dei, tract. III, q. XIII ad III. Et
hos tantos auctores secuti sunt om-
nes alii qui usque ad hæc tempora
scripserunt, præter supra rela-
tos.

VI. Et quamvis in re tam gravi, et
theologica, auctoritas hæc tanto
pondere firmata sufficere debuisset,
ut illi sententiæ inclinemus caput,
placuit tamen inquirere, et elucidare
fundamentum, quod tot aucto-
rum ingenia movit ad amplecten-
dum hanc sententiam non solum
eos, qui censent speciem istam esse

omnino impossibilem, sed etiam qui
censent possibilem esse, censent ta-
men de facto non dari, sed divinam
essentiam loco speciei uniri, et ideo
aliquod fundamentum debet dari,
quo probetur ita de facto contingere
abstrahendo ab ea quæstione, an ta-
lis species sit impossibilem, et sup-
ponendo non esse impossibilem
unionem divinæ essentiae in ratione
speciei intelligibilis, nam si hæc
unio existimatur impossibilem, vel
illa species pro impossibili habetur,
vacat difficultas ista de facto.

VII. Igitur ad tradendum resolu-
tionis hujus fundamentum accipi-
endum est id quod communiter tra-
ditur a doctoribus, quod ideo de fac-
to non datur species creata, quia
essentia divina est sufficienter in-
telligibilis ex se ipsa etiam in ordi-
ne ad intellectum creatum, et con-
sequenter non indiget aliqua specie
quæ gerat vices illius, quia per se
solum id potest facere.

VIII. Quod fundamentum ut evol-
vatur, et explicetur duo principia
accipienda sunt. Primum, quod ubi
non intervenit specialis revelatio
Dei, illud intelligendum est Deum
de facto exequi, quod magis connat-
urale est, et conforme naturis re-
rum, præsertim in rebus perpetuis
ne cogamur dicere, quod Deus per-
petuo privat aliquid suo connaturali
et proprio modo, quem postulat, si
alias perfectus est. Secundum prin-
cipium est, quod licet in rebus ma-
terialibus, et quæ non sunt actu in-
telligibiles ex se, connaturalis mo-
dus intelligendi sit mediantibus
formis intentionalibus, tamen quan-
do aliqua res se ipsa est intelligibi-
lis, connaturalius est, ut sine spe-
cie superaddita illam intelligamus,
sicut substantia Angeli, licet repræ-
sentabilis sit per speciem intentio-
nalem in mente alterius Angeli, ta-
men respectu proprii intellectus, qui
tali substantiæ conjunctus est non

esset connaturalis, et ordinarius modus, quod per speciem intentionalem superadditam intelligeretur de facto, licet talis species absolute sit possibilis, constat enim inveniri in mente alterius Angeli, sicut si substantia per se ipsam esset operativa, et non per potentias accidentales superadditas, connaturalius, et conformius esset, quod per se ipsam operaretur, quam per superaddita accidentia, licet essent possibilia. Et hoc ideo est, quia natura semper studet compendio, et non facit de facto per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Cum ergo species ad hoc sint institutæ a natura, ut vice objecti repræsentent illud potentiæ, ubi objectum per se ipsum id facere potest, et sufficienter est præsens, et unitum potentiæ, superfluit species, quæ talia munera exerceat. Deus autem ita immaterialis, et intelligibilis est respectu sui, et aliorum intellectuum, sicut substantia Angeli respectu proprii, eo quod ejus intelligibilitas est infinita et summæ actualitatis unde nulla superaddita indiget, ut intelligibilis reddatur etiam respectu aliorum. Et similiter est præsens omnibus per immensitatem, quæ intime omnem intellectum penetrat, et sic dat illi esse, non minus quam substantia illum sustentans. Et quia radix est omnium, potest fundare unionem hanc intelligibilem ad intellectum creatum, sicut substantia Angeli fundat ad proprium, quia radix ejus est, et ab ea dimanat eique est conjuncta. Et alias in ista unione intelligibili nulla intervenit repugnantia aut imperfectio, sicut neque in unione, qua divina subsistentia unitur naturæ, ergo cum non sit impossibilis talis unio, de facto connaturalius est, quod detur, quia species solum ponitur ad supplendum istam unionem, quando ex parte objecti non est possibilis.

IX. Respondet Ægidius ubi supra, quæst. III, art. VII, distinguendo in Deo duplicem immaterialitatem, scilicet realem, et objectivam. Realis qua in se ipso ab omni potentialitate, et materialitate purificatur: objectiva qua applicatur, et præsens redditur potentiæ. Et licet Deus realiter, et in se sit summe immaterialis, non tamen objective est immaterialiter præsens omni intellectui, ut patet in intellectu viatorum. Ad supplendam ergo istam præsentiam objectivam ponitur connaturalius species creata.

X. Cæterum hæc solutio non evacuat vim rationis factæ. Nam si Deus in se ipso realiter est summe intelligibilis, et ipsum suum esse sit intelligibile realiter, ut concedit Ægidius, necesse est, quod etiam sit intelligibilis objective, et applicabitur respectu ejuscumque intellectus, dummodo talis intellectus sit habitatus, et proportionatus tali formæ intelligibili ejusdem ordinis cum illa, et hoc fit per lumen gloriæ, quæ reddit intellectum elevatum ad talem formam intelligibilem, et visionem. Et hæc est ratio, quare Deus non unitur intelligibiliter intellectibus viatorum, licet illis sit præsens per immensitatem, quia carent proportionem et elevationem ad talem formam intelligibilem, sicut etiam est præsens illis intelligibiliter. Si autem intellectus aliquis sit capax, et habilis, seu proportionatus ad intelligendum, et videndum tale objectum, impossibile est, quod ejus intelligibilitas non sit applicabilis, et unibilis illi intellectui, nisi ex aliquo defectu intelligibilitatis, nam si est intelligibilis in actu puro, et summo modo non potest amplius intelligibilis reddi respectu si hujus vel illius per aliud superadditum. Ad applicationem autem solum requiritur quod objectum sit intime præsens intellectui, et hoc habet

Deus per immensitatem quatenus est principium dans totum esse, nec minus est præsens, quam substantia Angeli suo intellectui; similiter requiritur, quod unio intelligibilis non repugnet illi objecto. Et hoc patet, quia non involvit imperfectiorem ab intrinseco, quia non ordinatur ad constituendam naturam cum altero extremo, sed ad repræsentandum intelligibiliter, sicut etiam unitur divina subsistentia sine ulla imperfectione naturæ humanæ, eamque formaliter subsistentem reddit, quia non est proprie forma constituens, sed terminus naturæ constitutæ, sic species, et objectum in ratione objecti informat, non constituendo intellectum, vel virtutem ejus, sed determinando repræsentative. Quod etiam patet in substantia Angeli, quæ intelligibiliter actualat intellectum, quin ad hoc sit necessarium inhærendo informare, ergo ista actualio in genere intelligibili non importat intrinsece imperfectiorem, et sic potest convenire Deo respectu omnium intellectuum, quibus præsens est, ita ut non solum Deus sit realiter immaterialis in se, sed etiam objective, et applicative respectu aliorum, quia summo modo immaterialis, et intelligibilis est in se, et præsens, ac unibilis intellectui intelligibiliter. Currit ergo ratio facta, quod magis connaturale est, quod Deus se ipso uniat intelligibiliter, quam per speciem gerentem vicem sui.

XI. Ad primum fundamentum oppositum respondetur ex dictis, nihil constare de hoc puncto per revelationem expressam. Et ideo ex his, quæ magis connaturalia sunt colligimus per discursum, quid de facto contingat. Atque ita etiam dato, quod species creata Dei esset possibilis absolute, tamen supposito quod divina essentia per se ipsam est sufficienter intelligibilis in actu non solum res-

pectu sui, sed etiam respectu aliorum intellectuum, et semper est illis præsens, et intima, convenientius est, quod per se ipsam repræsentet, quam per vicarium sui. Quod non currit in substantia Angeli respectu aliorum intellectuum, tum quia non est unibilis illis sicut proprio intellectui, quia non potest informare intellectum entitative ut forma, nec intellectus emanat ab ea, ut a principio cujus sit passio cum non sit intellectus proprius, nec ut a principio dante sibi esse, sicut res emanant a Deo; tum quia non semper est illi præsens, et ita oportet habere vicarium sui, ut intelligatur quia non est ibi.

XII. Ad secundum respondetur, esse connaturalius nostro intellectui habere speciem repræsentativam objecti, quando objectum per se ipsum non est intelligibile, vel non sufficienter intimum, et unibile, aut non semper præsens potentiæ. Quando autem has condiciones habet, non est illi connaturalius uti specie, ut patet cum anima separata, vel Angelus intelligit se ipsum per suam substantiam. Nec obest quod species subordinatur usui potentiæ, dicimus enim non per se requiri, quod species subordinetur potentiæ, nisi quando species est inhærens, ex suo enim genere potius intelligibile perficit, et actualat intellectum, et sibi subordinat. Et sic quando est substantia, et radix ipsius intellectus, species non subordinatur intellectui, sed e converso, ut in substantia Angeli. Et idem facit substantia divina, quæ multo magis est radix intellectus creati. Sicut etiam subsistentia, quando est modus proprius subordinatur naturæ: subsistentia vero divina assumens naturam creatam terminando, potius subordinat illam sibi. Ad id quod opponitur ex parte Dei, respondetur quod connaturalius est

Deum mediis formis creatis operari, quando formæ illæ se habent ut virtutes per se operativæ, et propriæ rei creatæ. Tunc enim connaturalius est, quod Deus illas agere permittit, quam quod impediatur, et per ipsum suppleat. Quando vero formæ solum se habeant, ut repræsentativæ, et vices gerentes alterius, si illud alterum sit præsens, et per se ipsum sufficienter actuans, potius superfluit, et minus connaturale est, quod per alterum id fiat loco illius, ut in substantia Angeli respectu proprii intellectus sæpe dictum est.

Nec valet dicere, quod Deus tamquam principale agens producit gratiam, et tamen adhuc utitur de facto instrumento, a quo tamen non dependet in operando, ergo similiter, licet sit præsens, et per se ipsum intelligibilis in actu ultimo, poterit uti specie tamquam medio vices gerente sui. Respondetur esse magnam differentiam, quia causa instrumentalis non repræsentat, nec supplet totaliter vicem causæ principalis, sed solum ipsi ministrat; unde oportet, quod causa principalis simul concurrat cum instrumentali, et ideo causa instrumentalis non est sine consortio causæ principalis, sed simul cum illa tamquam illi ministrans, principalis autem causa, ut per se concurrens. Species vero ita repræsentat objectum, et vices ejus gerit, quod non instrumentaliter illi deservit, nec cum ejus consortio, aut influxu repræsentat, sed per se solam integre vices ejus gerit; et sic superfluit si objectum per se ipsum uniatum potentie modo dicto.

XIII. Ad tertium fundamentum infra latius respondebit, tractando de unione essentia divinae in ratione speciei intelligibilis. Modo dicimus, quod divina essentia non per solam assistentiam extrinsecam, sed

per intimam unionem veram, et realem actuatur intellectum, non in genere causæ formalis inhærentis, vel componentis aliquam naturam entitative, sed objective, et intelligibiliter determinantis potentiam. Et hæc informatio non repugnat Deo, quia potius se habet per modum termini, quam per modum formæ, sicut subsistentia divina actuatur naturam humanam. Similiter non est difficile intelligere, quod essentia divina sic unita specialiter concurrat ad eliciendam visionem determinando, et repræsentando, sicut influit species intelligibilis in actum, ubi importatur aliquid efficientiæ, quam etiam habet divina essentia sic unita, qui est concursus præter concursum generalem causæ primæ, sicut etiam Persona divina, ut subsistens in natura humana concurrat tamquam principium quod ad operationes humanas, et non solum generali influxu causæ primæ. Nec subordinatur essentia divina intellectui ex hoc quod si concurrat, sed potius subordinat sibi intellectum perficiendo, et actuando illum intelligibiliter, ut jam diximus, et amplius infra explicabimus.

ARTICULUS III.

Utrum implicet dari speciem impressam repræsentativam Dei clare visi?

I. Duæ sunt in hac parte oppositæ sententiæ. Prima affirmat non implicare contradictionem dari talem speciem. Quæ sententia paucos ex antiquis habet patronos, qui expresse illam tradant. Nam quod aliqui attribuunt eam Scoto, falluntur, nec videntur diligenter eum legisse. Nam in quodlibetis XIV et XV potius indicat oppositam sententiam,

ut retulimus præcedenti articulo: de possibilitate autem speciei intuitivæ nihil ibi determinat m. Gonzalez in præsentis disputatione XXV, sect. III, articulo citato Scoti in II, dist. III, q. IV. Ubi nihil minus affirmat, sed solum ibi agit de principio individuationis in substantiis materialibus. Posset tamen citari in illa distinctione, quæst. IX, ubi tamen solum admittit, speciem abstractivam repræsentantem distincte divinam essentiam esse possibilem, dum tamen inquit non intuitive repræsentet. Et de hac etiam specie loquitur quodlibeto VII, art. II. Quare ex antiquis vix invenias pro hac sententia, nisi Aureolus apud Capreolum, in IV, dist. XLIX, propositione X; Herrera in I Scoti, disp. X, q. IV, art. I. Ex aliis plausit hæc sententia Molinae super istum art. II, disp. I; Suarez, in met. disp. XXX, sect. XI, n. XXVII, et lib. II de attributis negativis, cap. XIII; Vazquez hic disputatione XXXVIII, cap. II, et disp. XLIII, cap. VII; Valentia, tom. I, disp. I, q. XII, puncto II, Ægidio, lib. I de beatitudine, q. II, art. II, quos sequuntur alii minoris notæ.

II. Fundamentum hujus sententiæ solum consistit in duplici medio. Primum negativum solvendo rationes D. Thomæ; secundum positivum producendo quasi a simili ex aliis, quæ non implicant, et tamen similia habent cum specie impressa. Primum destruemus explicando rationes D. Thomæ. Secundum seorsum adducemus, et solvemus. Quod vero tentavit Vazquez a sententia opposita excludere D. Thomam, ne ejus auctoritas illi suffragaretur intendens probare, quod D. Thomas non est locutus in præsentis de specie impressa, jam supra rejectum est præcedenti articulo.

III. Secunda sententia docet implicare speciem ejusmodi impressam. Quam esse sententiam D. Thomæ

in præsentis articulo statim ostendimus ejus rationes explicando, nam certe ita negat dari hanc speciem ex ipsa intrinseca, et propria ratione speciei, ut vel ejus rationes absolutam implicationem probent, vel nihil probent. Sequuntur D. Thomam omnes ejus discipuli ad unum, Capreolus in IV, dist. XLIX, qu. V, art. I, conc. I; Hispalensis ibidem quæst. V, artic. I ad IV; et Scotus ibidem, q. II, art. III, conc. II; Conradus 1-2, q. L, art. VI, ad finem; Ferrariensis I, in contra gent. cap. LIII; Cajetanus late in præsentis art. II; et ibidem m. Bagnez, Navarrete, Gonzalez, Nazarius et alii commentatores hujus articuli; Gabriel III p. q. X, art. I, disp. V, concl. III, et ex recentioribus Arrubal hic disp. XVI, c. IV, et Granados I part. tract. IV de visione disp. V, sect. III, ut omittam aliquos ex antiquis ut S. Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Alensem et alios, qui pro hac sententia citati solent in quibus expediendis non possumus immorari.

IV. Fundamentum hujus sententiæ non aliunde melius assumi potest, quam ex ipsis rationibus D. Thomæ quæ in hac parte efficacissimæ sunt, et si quid probant, sine dubio implicationem ipsam probant, et ideo diligenter a nobis expendendæ sunt.

EXPENDITUR PRIMA RATIO D. THOMÆ.

V. Sic illam proponit doctor sanctus. Per similitudinem inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora possunt cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei incorporeæ, ergo multo minus per speciem creatam quamcumque potest essentia Dei videri.

VI. Hæc ratio multipliciter insta-